

16319.

16319.

DE  
**SACCHARI SATURNI IN  
PNEUMONIA USU.**

DISSERTATIO INAUGURALIS  
MEDICA,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE AM-  
PLISSIMI MEDICORUM ORDINIS

IN

CAESAREA LITERARUM UNIVERSITATE  
DORPATENSI,

UT GRADUM

DOCTORIS MEDICINAE

*RITE ADIPISCATUR*

SCRIPSIT ET PUBLICE DEFENDET

**Eduardus M. Scholvin,**

ESTHONUS.



DORPATI LIVONORUM.

TYPIS J. C. SCHUENMANNI,  
TYPOGRAPHI ACADEMICI.

MDCCCXXXVI.

**I M P R I M A T U R**

haec dissertatio, ea tamen conditione, ut, simulac typus fuerit excusa, quinque ejus exemplaria collegio libris explorandis constituto tradantur.

Dorp. Liv. d. 24. m. Nov. a. 1836.

**Dr. P. U. WALTER,**  
Ord. med. b. t. Decanus.

**VIRO**

**EXCELLENTISSIMO, PRAESTAN-  
TISSIMO, HUMANISSIMO**

**Jacobo Basilidæ Kutusow**

a Consiliis Status Rossicis, ordnum Stae Annae et Sti  
Wolodimiri insignibus decorato equiti,

**PATRONO**

**BENIGNISSIMO, MAXIMEQUE VENERANDO**

D 76 28

UT COMPLURIUM, QUAE IN IPSUM CON-  
TULIT, BENEFICIA HAUD IMMEMOREM  
SE PRAESTET

HUNCCE LIBELLUM SACRUM  
ESSE VOLUIT

AUCTOR.

Quamquam infernus Sacchari Saturni usus contra varia symptomata morbosa jam ex Paracelsi temporibus laudatur et saluber repertus est, saepiusque in phthisibus et nervorum morbis ad praeparata absoleta, plumbum continentia (ut ad Tincturam Saturni Closii, antihecticum Potteri, Tincturam antiphthisicam Gramanni etc.) confugiebatur, tamen, cum Stahl, Fr. Hoffmann et Boerhave de ejus usu dehortati essent, fides ei jam denegari, maxime vero effectus latentis, lento veneno damnus afferentes timeri coeperunt. Hufeland (1) in annotatione quadam facta ad Hildebrandii (2) dicta Sacch. Sat. contra phthisin laudantis de ejus effectu admodum sollicitus est, etenim dicit, Plumbum quidem dignum esse summa attentione et aestimatione, seque putare, praecipue me-

---

1) C. W. Hufeland, Journal der prakt. Arzneikunde, VIII. 4. Jen. 1799.

2) ibid.

thodum, qua vapores plumbi caute inhalentur, contra pulmonum ulcera multum prodesse valere, neque tamen obliviscendum esse, Plumbum unum ex periculosissimis venenis esse, idque lentum, ita ut incommoda, quae ejus usus afferat, non semper statim, sed saepe demum aliquanto temporis spatio post paralyisibus, nervorum morbis, atrophiam et pertinaciam alvi obstipatione manifestentur, idque remedium hoc tam periculosum in iis modo casibus adhiberi licere, ubi adeo veneficium Plumbo effectum, si forsitan locum habeat, minus periculosum sit, minusque excrucians, quam morbus, quo aeger affectus sit, et ubi vel tali pretio vita libenter redimatur; casum vero ejusmodi sine dubio esse phthisin ulcerosam, in qua etiam anceps remedium melius sit, quam nullum.

Hufeland igitur, si haec verba repetamus, Plumbi usum tantummodo in desperatissimis casibus permittere et vaporum inhalationem interno usu praeferre videtur. Mirum utique est, et remedium necessario suspectum reddit, quod medicus experientia atque doctrina excellentissimus, quem, nisi remedio ejusque effectibus diligentissime perquisitis et perpensis, de eo judicasse credere nequeamus, dubitationem gravem contra ejus usum movet, etiam si Hildenbrandii commendatio, observationibus in aegrotis factis, periculisque in se ipso institutis nixa, non solum metum, ne Plumbum necessario damnum afferat, tollere, sed etiam laetam persuasionem, remedium hoc saepe esse saluberrimum nobis praebere valeat. Nomen sententiae medici illius clarissimi non

omnino libera opinionibus praepjudicatis esse nobis videatur, si asseverat inhalationem vaporum Plumbi corpori minus periculi minari, quam usum internum? Dubitatio haec tam gravis esse videtur, ut ea de re infra copiosius agendum sit; sed licet multi medici Plumbum, quo potius caute utendum erat, timeant, et hunc ob metum medicamine efficaci se privaverint, saepe tamen illud a medicis et antiquioribus et recentioribus rite aestimatum, quin etiam ad nimiam dignitatem incaute elatum est: (Blei ist das mächtigste Antiphlogisticum! Krüger-Hansens Curbilder.)

Sed non solum in phthisi ulcerosa usus Sacch. Saturni sensim magis divulgatus et probatus, sed in pluribus etiam aliis morbis saepe felici successu medicamen hoc adhibitum est; attamen tantum ad usum internum eumque in morbis chronicis.

Nuperrimo tempore cognitio casuum, in quibus Sacch. Sat. adhiberi possit, aucta est, quam quidem artis medicae locupletationem Ritscher (1) debemus, qui illud etiam in acutis pneumoniae casibus optimo effectu adhiberi observationibus suis publici juris factis docuit. Loco laudato ille enarrat triginta quatuor exempla in quorum longe pluribus Plumbum aceticum cum Opio conjunctum mi-

1) Rust's Magaz. f. d. ges. Heilk. XXXIX. Berlin 1833. s. 397.

rum quantum profuerit. Chevalier (2), Ritscher praeeunte, in quatuor pneumoniae exemplis Sacch. Sat. cum Opio conjunctum in usum vocavit, observationesque ejus loculentissime Ritscheri sententiam probant. Denique etiam Sahmen, professor clarissimus, praeceptor meus maxime venerandus, director instituti clinici Dorpatensis, quippe qui ad quamlibet cognitionem, auctam et experientiam, quae generi humano vexato saluti sit, animum attendat, de efficacia hujus remedii sibi persuadendi occasionem reperit, contra cujus usum neque theoria neque experientia magnam dubitationem movere poterat. Felici successu ille quoque Plumbum aceticum in quatuor pneumoniae exemplis adhibuit, in quibus minus confidenter remediis vulgaribus usus fuisset. Non est quod exempla huc collata excusent, quum facile fieri possit, ut iis attentio medicorum ad remedium magis advertatur, quod in morbo tam frequenti et saepe tam pernicioso plerumque auxilium attulit. Minime quidem nimium ex eo sperandum est, arbitrandumque, in posterum jam neminem pneumoniae confici posse; nam huic quoque remedio idem, quod plerisque, obijciendum est, illud non omnibus sub conditionibus certo agere, idque Ritscher ipse duobus probat exemplis in quibus nullum fructum ex ejus usu percepit.

---

2) Med. Zeitg., herausgegeb. v. d. Verein f. Heilk. in Preuss. N<sup>o</sup> 30. Berl. 1834.

Nec magis affirmari liceat Plumb. acet. in omnibus casibus omnino nulla afferre incommoda. Ritscher confitetur se interdum ortis alvi obstructionibus clysteres vel purgantia opponere coactum esse, neque tamen unquam sibi oppugnandas fuisse diutius perdurantes turbationes systematis vegetativi vel sensibilis, veneficum verum Plumbo provocatum. Sed haec ipsa incommoda cum Plumbi usu interdum conjuncta, quae Ritscher veri amore ductus ingenue confitetur facile sustinere possint dubitationem et diffidentiam remedii, quod multi medici tantummodo in morbo fere insanabili tanquam ultimum refugium apte in usum vocari concesserunt, quodque laudibus ejus, qui primus adhibuit, facile in suspicionem venire possit, quasi commodis incommodisque non rite consideratis et perpensis justo pluris sit aestimatum. Attamen si legimus aegrotorum historias, quas Ritscher refert, cum quoque ab initio timidum pavidumque fuisse videmus et demum felicibus successibus audaciorum et confidentiorem evasisse, quare non possumus, quin eum omni temeritatis opprobrio liberemus.

Non, credo, opus erit, ut alii objectioni obvientes, fusius explicemus. remedia vel innocentissima male locata male agere posse, nec ullam esse in omni rei medicae thesauro medicamen, quod quibuscunque sub conditionibus adhibitum omnino certam praebet salutem, omnibusque vacet incommodis. Sed haec omnia, quamquam sunt vera, nimis tamen trita apparent et saepius utramque in partem, et

bonam et malam conversa, quam ut magna eorum esse possit auctoritas, ad novum remedium commendandum; praesertim quum toties sit tentata atque illusa bona medicorum fides, ut valeat illud excellentis medici dictum: „Die Modesucht der Aerzte nach neuen Mitteln ist der wahre Krebs der Arzneimittellehre, der auch das Gute wegfrisst.“ Ut vero admirabilem saepe fuisse doctorum hominum credulitatem non negabimus, remedia quaedam immodicis laudibus extollentium (Acupuncturam dico, Jodium, Magnetismum, Lactucarium, Kreosotium, alia), ita altera rursus ex parte est concedendum, continu- is observationibus et examinibus, libero animo iustitutis, suum cuique remedio locum aliquando constitui, nec unquam inferire quod reapse utile sit; quare non dubito, quin Saccharum Saturni etiam locum suum inter remedia pneumoniae sit obtenturum.

Ne vero mihi objiciat aliquis sufficere ad coercendam atque comprimendam pneumoniae formam unamquamque, remedia illa tot et tam celebrata: Venaesectionem, Nitrum, Tart. emetic., Calomel., Sal. ammoniac., Antimonialia, Salia media, Epispastica, Opium, Hyosc., Aconit., Aquam Laurocerasi, Digitaleam, Arnicam, Camphoram, Lichen. island., Polygal. amar., Senegam, alia. Multum quidem abest ut de horum remediorum dignitate iudicium sim laturus, cum Saccharo Sat. ea comparans, vel ut diffitear sufficere posse multis in casibus remedia adhuc usitata; tamen

vero quamvis obumbrare ea nequeat Plumbum, et ipsum rursus illis non obrui nec supervacaneum reddi arbitror. Nam alia sunt aliis in statibus et complicationibus eligenda remedia; utque non raro sola naturae vis omnia potest, ita nonnunquam validissimo opus est artis praesidio, ne gliscens vitae scintilla extinguatur, multumque veremur ut ullum e remediis notioribus plane sit aptum, ubi propter nimiam debilitatem aegroti venaesectionem instituere, vel Nitrum, Calomel. etc. praebere jure dubitamus, ubi Narcotica auxilium denegant, Excitantia inflammationem augere minantur. Quibus quidem in casibus Plumbum praecipuum meruit laudem. Demonstrant autem Ritscheri observationes Saccharum Satur. non tantum ultimum esse refugium desperatis in rebus, sed posse etiam et vices sustinere remediorum, quae enumeravimus plurium, et vero tutius et citius, solutione effecta, sanationem aegroti asserere. Ex iis etiam, quae nos allaturus sumus exemplis, elucebit, magna minante pernicia, Plumbum curationem exitum adduxisse non minus celerem, quam faustum et felicem. Confirmat igitur experientia, accuratis observationibus atque optimis successibus nitens, et efficacitatem et praestantiam Sacchari Sat. in pneumoniis adhibiti, jamque quaeritur fueritne illud empirice tantum in auxilium vocatum, an liceat vim ejus, inflammationis symptomata oppugnantem, probare, et efficere ut remedium haberi posse videatur anti-phlogisticum. Praeterea videbimus num potestas Plumbi venefica, quae sane usui ejus

quam maxime obstaret, tantopere sit metuenda, quam scriptoribus nonnullis visum est. Ne vero in vitium delabar conclusiones fingendi generales e singulis quibusdam observationibus, componam, quae scriptores probatae fidei de Sacchari Sat. effectibus cognita, publici juris fecerunt, ut ex observationibus vel in sanis vel ad aegroti lectum institutis, propria Plumbi vis et potestas quantum in me est accuratissime et certissime evolvatur. Noli arbitrari, lector benevole, quaestioni huic a me plane satisfieri posse; quam ad absolvendam et continua opus est experientia et doctrina ampliore, quam qua equidem gaudeo; veniam despotius, ubi e delectu, rerumque compositione et aestimatione tironem me cognoveris!

Convenit inter omnes medicos recentiores et therapeutas et chirurgos, omnia quibus utamur Plumbi praeparata (itaque etiam Plumbi cum acido acetico conjunctionem), remedia esse fortiter adstringentia. Quae quidem eorum vis contrahens jam lingua facile cognoscitur, quum Sacch. Sat. praeter dulcedinem suam, peculiarem quandam excitet saporem nauseam paululum moventem, metallicum. fortiter adstringentem, et subamarum. Idem medicamentum in ventriculi etiam atque intestini tela cellulosa, partibusque muscularibus et va-

sis constrictiones efficere posse, Amelung (1), Osann (2), Hecker (3), Richter (4) aliique demonstraverunt. In hominibus, qui antea sani fuerant, constrictiones illae nonnunquam vomitionibus manifestabantur, saepius valida retentione secretionum naturalium, inprimis in tubo intestinali, adjunctis plerumque acerrimis doloribus colicis et contractione saepe valida tegumentorum abdominalium, usque ad columnam vertebralem pertinente. In sectionibus hominum Plumbo venenatorum vasa lactea saepe contracta inveniebantur, lumina eorum obturata, tela cellularis viscerum abdominalis rigida. Percival (5) hepar non raro scirrhum, ileum parvum et corrugatum; de Haen omentum cartilagosum vel omnino nullum, colon constrictum, ceterorum viscerum lumina exigua, eorumque membranas validas et crassas invenit. Van Haesendonck (6) tribus in hominibus, Plumbi viribus interfectis, medullam spinalem emollitam animadvertit, unde colicae saturninae symptomata tot tamque varia explicare posse sibi videtur. Thomas (7) contra XI

- 1) Hufeland's N. Journ. d. praktischen Arzneikunde. XXII. 1. Berl. 1805.
- 2) Aem. Osann, Dissert. inaugural. med. de Saturni usu medico maxime interno. Jen. 1809.
- 3) Hecker's prakt. Arzneimittell. 2 Thl. Gotha 1830.
- 4) Richter's ausf. Arzneimittell. 4 Thl. Berl. 1832.
- 5) Observat. on the experim. of the poison of Lead. Lond. 1774.
- 6) Observat. méd. belge. Juillet 1834.
- 7) Buchner's Toxikologie. 2te Auflage. S. 515.

cadavera hominum, colica saturnina confectorum perquirens, non semper coarctationes intestini vel accumulationes excrementorum induratorum observavit, sed saepius extenuationem membranarum intestini late patentem, cum injectionibus sanguineis, nunc rubris, nunc subfuscis in pluribus ventriculi atque intestini locis. Cerebri velamenta semper sanguine erant injecta et infiltrata, nec vero deerant inter illa et in ventriculis cerebri ipsis extravasata serosa ac sanguinea. Orfila (3) nullas omnino, nec cerebri, nec medullae spinalis nec cordis nec pulmonum mutationes observavit in hominibus Plumbo necatis. Experimenta in canibus instituta, quibus Sacchari Sat. unciam unam et dimidiam comedendam praebuit, inflammationes et corrosiones ventriculi et intestini monstrabant. Solutio XIII granorum venae jugulari canis injecta, eoque recepta in sanguinis circulationem, post III—IV spirationes bestiae mortem adduxit sine dolore vel convulsionibus. Ventriculus et intestinum omni inflammatione vacabant, pulmones laete rubro erant colore, crepitantes nec usquam indurati, sanguis in corde fluidus et rubicundus. Alterum experimentum cum quinque granis Sacch. Sat. institutum languorem attulit, ciborum appetitiae defectum, debilitatem extremitatum posteriorum, convulsiones nonnullas et denique mortem quin-

---

5) Orfila Toxicologie, übersetzt von Hornbstaedt. II Thl. Berlin 1818.

to post sumtum venenum die. Pulmones et ventriculus sani apparebant. Quibus ex rebus Orfila colligit: 1) Sacch. Sat. circulationis flumine perceptum venenum esse minus vehemens ceteris metallis fere omnibus; 2) pluribus granis praebitum medicamen illud status periculosos et vel ipsam mortem afferre valere, laeso systemate nervoso. Clarissimus Magendie (1) alia expertus, aliam ex iis derivat sententiam; quum enim unum ad duo grana Sacch. Sat. venis felium et canium injecisset, semper ventriculum et intestinum, plerumque etiam pulmones inflammatos invenit, quare commotus noxios Plumbi effectus, ad inflammationem eo provocatam refert. Hildenbrand (2) de interno Sacch. Sat. usu in se ipso experimenta instituens, principio ex uno grano facto, paullatim ad quinque grana ascendit, quae quum satis diu sumsisset, nullum tamen aliud inde percepit incommodum, nisi ciborum appetentiam magnopere auctam. Quae quidem phaenomena partim vim Sacch. Sat. systema sanguiferum irritantem, partim effectum ejus quendam peculiarem, in systema nervosum tendentem, manifestare videntur, cujus saepe tanta est vehementia et penetratio, ut ab Osannio cum Narcoticorum effectus comparatus. Secundum observationes ab hoc institutas parva jam dosi Sacch. Sat.

---

1) Magendie; Journal de Physiolog. expérimentale. Juillet, Paris 1821.

2) i. c.

pulsus frequentia minuitur, augetur plenitudo et durities. Similia Laidlaw (1) in se ipso est expertus. Sumtis enim quotidie x granis Plumbi acetic. in forma pilularum, tertio die pulsum deminui sensit, eumque quinto perexiguum vixque numeris designandum invenit. Notandum est, jam a primo die alvi evacuationes desiderari coepisse, tamen vero sexto demum tormina exorta esse vehementia, quae duobus Magnesia sulphuricae drachmis sumtis, statim sedabantur. — Plumbi effectus in systema nervosum varia ratione in conspectum veniunt. Saepe veneficii Plumbo facti signum princeps, manuum et pedum est tremor, quem nonnunquam convulsiones ad tetanum usque et paralyses sequuntur. Percival animalia quaedam quum aquam Plumbi partibus infectam hausissent, rabie corripiti vident, et Ramazzini (2) vel hominum refert exempla, qui inductis plumbi vaporibus rabidi sint facti. Qui tamen effectus in cerebrum rarius sunt observati, quam qui plumbo confidenter abscribi et tribui possint. Contra longe saepius sensuum organa male ab eo affici animadvertunt, oborta praecipue amaurosi, vel debilitate olfactus vel tactus, cui quidem vitio, ultimo loco posito, ex parte forsitan accrescens

musculorum atque cutis rigiditas causae fuit. Haec tot tantaque mala sane Plumbi usum maximopere coëreant necesse est, quum magnam circumspectentiam et providentiam suadeant vel ubi ille aperte indicatus esse videatur. Num vero incommoda, quae enumeravimus eodem gradu ab omnibus Plumbi praeparatis sint extimescenda, haec alia rursus est quaestio, de qua ut rite decernamus, nonnullorum scriptorum opiniones hoc loco proponere atque illustrare liceat; varia enim effectus discrimina constituerunt viri docti et secundum Plumbi praeparata ipsa et secundum dosium magnitudinem atque applicationis vias. Nec enim parum refert num acutam pneumoniam sanaturus, ejus in locum tabem saturninam sufficias.

Nonnulli, ut Stahl, Fr. Hoffmann (qui Plumbo carbonico interne utebatur) cum inutilibus utilia repudiaverint, usum remedii, quo tanta in hominibus sanis nasci viderant incommoda, in morbis etiam quibuscunque omnino rejicientes; ac dum Hufeland aliique Plumbi vapores ut minus noxios, ipsius Plumbi usui interno praeferunt, Hecker illos respiratione inductos multo etiam perniciosius agere contendit. Amelung plurimum momenti ad tabem saturninam (Hüttenkatze) in vaporibus arsenicalibus, simul cum Plumbi vaporibus evolutis, ponit; idemque fere judicium fert clarissimus Osann, qui opiniones falsas, de Plumbi potestate vitam infestante prolatas, refellere studens, sibi persuasum esse dicit, substantiam illam, modo caute agatur,

- 
- 1) The Lond. med. Gazette. Mai 1829. Frotieps Notiz. Bd. 25. N<sup>o</sup> 3. P. 41.
  - 2) Die Krankheiten der Künstler und Handwerker etc. von Ramazzini. Uebersetzt von Schlegel. Itmenau 1833.

maxima cum utilitate interne adhiberi posse. Singulas deinde dubitationes et scrupulos perlustrans, quam infirmis nitantur argumentis probare conatur. Quamquam enim experientia docuerit in officinis aerariis, ubi Plumbum liquetur, multos eosque periculosos exoriri morbos, non tamen esse praetervidendum, quod inter calcinationem oxygenium aëris atmosphaerici ad metallum transeat, cumque eo acerrime conjungatur, unde aër irrespirabilis factus, summum afferre possit periculum, et vel ipsam necem. Similes casus observari, ubi stannum vel vitrum conflatur, praeterea vero non nihili habendum esse Arsenicum cum Plumbo conjunctum. In universum igitur justo nimium videri Plumbi metum, etsi negari rursus nequeat, saepe illo phaenomena morbosa excitari, satis nota. Ex eo, quod in officinis aerariis et praecipue in opificibus ipsis morbum Plumbo provocatum adhuc imprimis observaverunt, colligi fortasse potest, praeceteris Plumbi oxyda varia atque Plumbum carbonicum infeste in organismum agere. Thomson (1), accuratioribus etiam quaestionibus institutis, sibi persuasisse contendit, excepto Plumbo carbonico, nullum omnino sal plumbeum veneni instar agere. Ubi praeparata Plumbi aceti-

1) Westminster med. Society in Lond. Sitz. v. 16. Decbr. 1829. — Behrend und Moldenhawer N. Journ. Bd. 2. P. 292.

ci effectum veneni prae se tulissent, causam sitam esse in eo, quod in ipso organismo salia illa in Plumbum carbonicum commutata fuissent, quam certe commutationem perfacilem esse. Gardner (1) etiam metum veneficiorum Plumbo effectorum, praeter justum modum invaluisse arbitratur, quippe quae pro ingente Plumbi in artibus et artificii usu, per rara appareant. Esse vero colicam saturninam (?) frequentissimam in insulis Indiae occidentalis, quamquam nullum ibi nec elaboretur nec in usum convertatur Plumbum. Non tamen infitias it Plumbum carbonicum effectum noxium exercere posse, modo ne hac re moti, usum omnem Plumbi denegemus ac rejiciamus. Perlustratis et perpensis quae usum Plumbi vel suadeant vel dissuadeant, opinionibus atque observationibus, haec fere de Plumbi acetici usu monet: potest illud sat magna quantitate (drachma una ad unciam dimidiam) in ventriculum ingeri nullo sequente effectu, donec, soluto remedio, vis ejus, secundaria actione se manifestet. Effectuum secundariorum notissimus est atque maxime sub oculos cadens, nissus Plumbi acetici excretiones inferiores vel mucosas vel sanguineas varii generis comprimendi et retinendi. Clarissimus Richter „Plumbum“; inquit, „statu metallico organismum vivum parum efficere et tantum ubi cum oxygenio conjunctum est, vehementi-

1) The Lond. med. and phys. Journ. 1839. P. 29.

us in eum agere videtur. Plumbum oxydatum, magis fortasse quam ullum aliud remedium, fere solam in vitam vegetativam agit, quamobrem lente quidem et occulte, sed eo diuturnius in vasa lymphatica intrat, quibus praecipue organorum digestionis ope ingeri potest, praeterea vero etiam exulcerationibus per loca cutis epidermide privata; et in vapores dissolutam per pulmones. Exercet vim in sphaeram vegetativam fortiter constringentem, eoque vitam vicibus mutis nitentem coërcet, liquescendi processum oppugnat, procreat siccitatem et rigorem, dimittit intusque reprimit motum liberum, denique summis effectus gradibus torporem affert atque paralysin. Propriam et veram degenerationem, vel dissolutionem vel cachexiam nullam progignere valet. Irritabilitatem atque sensibilitatem aperte minuit, sed vel haec tantum secundarie, firmiter contractis musculorum atque nervorum fibris. Ex omnibus veneficiis fortuitis, veneficium Plumbi effectum longe frequentissimum est, quippe cui se subijciant quotquot vel artificio quod exercent Plumbum tractare, vel vapores ejus inspirare coacti sunt. „De Plumbi acético Richter, „ex omnibus“, inquit, „Plumbi praeparatis illud validissimum est, ideoque vel parvis in dosibus, phaenomena veneficii Plumbi effecti perducere potest.“ Cui quidem opinioni, praeter observationes clarissimi Hildenbrand, Laidlaw, Thomson, Gardner, supra a nobis allatas, casus quidam obstat a clar. Beck memoriae traditus, qui Saccharum Saturni nonnunquam vel magnis etiam in

dosibus sine nimio damno sumi posse probat. Quum enim alicubi, dimidia Sacch. Sat. libra cum olere cocta fuisset, sex hominum, qui escam hancce comederant, quinque levibus incommodis vexabantur, quae et ipsa vomitorio sumto cessaverunt, unus vero ex iis ne hoc quidem usus est remedio, quia nullis omnino molestiis premebatur.

Ex iis quae huc contuli factis perspicuum fit, observationes quidem ideoque etiam conjecturas ex iis derivatas multum inter se discrepare, tamen vero negari non posse, ingestionem Plumbi, etsi nonnunquam nulla sequantur vel nullius momenti phaenomena morbosa, saepe rursus magna incommoda asserere valere. Effectus ejus tempore, caractere, spatio, vehementia et vi diversos vidimus, nunc citiores, nunc seriores, nunc ad unum tantum organismi systema, nunc ad plura simul pertinentes, non raro excitationis functionum organicarum sive inflammationis signa prae se ferentes, saepe tamen virtutes vitales coërcentes, et vim suam depressis vel sublati vel denique perversis nervorum actionibus, impeditis vel plane deletis functionibus vegetativis imprimis secretionis, manifestantes. Quae quidem modificationes variae atque phaenomena pathologica, partim, si recte meminimus, e Plumbi conjunctionibus chemicis, viribus inter se diversis, ex applicationis viis, ex indole cujusque hominis naturali propria ac peculiari, ex aliis denique plurimis rebus fortuito accedentibus dependent, partim physiologicis nituntur principiis, conjunctionis ac nexus organorum atque systema-

tum omnium organismi, quibus efficitur, ut integritas unius sphaerae turbata, saepe catenam quasi phaenomenorum anomaliū aliis in organis vel systematibus post se trahat, et sublatum functionum concentum turbis variis manifestet.

Jam praemissis, quae generatim dicenda erant, singula quae sequuntur placita de gradu ac ratione effectuum quos Plumbi praeparata praecipua in organismum sanum exercere possint, in medium proferre liceat.

Plumbi oxydis in genere effectus illi peculiāres, organismo infesti tribuendi videntur, quorum rursus modificationes, compositio ejus cum variis acidis constituat. Hoc respectu Plumbum, cum acido carbonico, multo infestius agit, quam quidem cum acido acetico conjunctum. Quod etiam experientia multifaria probat, quum in artificii sola fere Cerussa, compositio Plumbi oxydati cum acido carbonico adhibeatur, qua, qui continuo utuntur, arte quam exercent coacti, imprimis frequenter colica saturnina omnibusque malis eam sequentibus corripuntur. Dicitur illa vel etiam continuo vini Plumbo corrupti usu aliquoties producta esse.

Effectus omnium Plumbi praeparatorum principio quidem mere materialis, isque chemice est adstringens, postea autem ratione vere dynamica, statum etiam incitabilitatis vel actionum organorum vitales mutare valet. Dynamicorum effectuum ratio est deprimens, qui quum praegressa demum absorptione conspiciantur, quo illa celerius procedit, eo facilius et

ipsi exoriantur necessē est. Augentur aucta dosium magnitudine. — Quantum vero Plumbi in corpus absorptione recipiatur, id praeter chemicam praeparati compositionem, praeter formam remedii pharmaceuticam, imprimis ex ipsius organi absorbendi facultate pendet. Solubilior Plumbi acetici compositio aptior est, quae absorbeatur, quam oxydorum vel Plumbi carbonici. Quod idem ad formam fluidam vel vaporem referri poterit, cum pilularum et emplastri forma comparatam. Quo minor absorbentis organi incitabilitas, eo tenuior absorptio, quare in cute, vel majoris applicationis spatio opus est, ad damnum e minore effectus intensitate perceptum compensandum, vel tempore longiore, donec effectus se omnino evolverit. Hac igitur via chronicum tantum Plumbo effici potest veneficium, quippe ubi in universum vis Plumbi chemica adstringens diu prae effectu ejus dinamico praevalcat. Serius demum et hunc sequi videmus, eumque principio quidem ad ipsum absorptionis locum restrictum, ex quo post diuturnam demum medicaminis actionem latius serpens, remotiorem etiam partium actionem vitalem perturbat, unde fit, ut mutatis organorum in materias et succos actionibus, et ipsae denique materiae mutantur. In partibus autem remotioribus, effectus etiam gradus minor est, quam in proprioribus, licet fortasse propter majorem earum receptivitatem, vehementiores in illis appareant actiones. Cutis in vaporibus, vel Plumbi oxydati, vel Plumbi carbonici, et vero solutionibus Sacchari Sat., atque

denique Plumbi oxydis, emplastri forma praeditis, ita afficitur, ut ipsa cum tela cellulosa corrugetur atque contrahatur, pallida et livida appareat et calore atque sensu privata. Constrictis minusculis vasorum ramulis, sanguinis transitus per vasa capillaria difficilior redditur, vel omnino tollitur, prohibentur et excretiones et receptiones rerum externarum, impediuntur igitur proprii ejus processus vegetationis. Rigiditas denique in musculorum fibris exorta motus eorum oscillatorios tollit. Turbae systematis vegetativi atque irritabilis ad systema nervosum tanquam effectus secundarii propagantur, cujus vel vires deprimunt, vel provocata reactione turbas abortas adaugent, vel denique nisum prosequuntur quem acceperunt, in paries longius remotas. Consensu multificario, quo systema nervosum vegetativum cum animali atque sensibili conjunctum est, efficitur, ut in his etiam et symptomate similia paralytica, et vero actiones *perversa* excitari possint, quae dolore, tremendo, convulsionibus etc. cognoscuntur. Similes effectus, sed graviores, absorptione in ventriculo atque intestino facta, observantur, quum ventriculus, ingente incitabilitate et absorptionis vi, praeditus, ut centrum sympathiarum nervorum, impressiones omnes celeriter graviterque et sentiat et transferat. Tractus intestinorum autem, magna sua assimilandi facultate, et succis chemice reagentibus, impressiones non minus imminuere quam adaugere valet. Dependet alterutrum de statu ejus vel physiologico vel pathologico. Laxitas magna, exilis incitabilitas, mucii accumulatio,

proclivitas ad acida procreanda, pinguium ciborum usus, ea omnia impressionis vim imminuunt, contraria eam attollunt. Plumbi oxyda et Plumbum carbonicum hanc in assimilatio-  
 oris viam, (si ad eam perveniunt), lentius agunt, quam Sacchar. Sat., cui praeter effectus illorum similes, potestas quaedam irritans adscribenda esse videtur, quae, ubi medicamen illud minoribus in dosibus sumtum est, aucto ciborum appetitu, ubi majoribus, vomitu, ac denique etiam inflammatione atque corrosio-  
 nibus, se manifestat. Si nihil obstat, absorptio Plumbi acetici, tanquam solubilioris, celerius procedit, quam Plumbi carbonici, illamque magis acuta, hanc chronica sequantur mala. Quia autem vi illa irritante, ipsius organi actio magis provocatur, nec vero secretio succorum priorum, chemice reagentium, tam celeribus tanque continuis constictionibus prohibetur, haec donec procedit, minores Sacchari Sat. doses in forma liquida, vel paullo majores sub forma pilularum aliquamdiu sine magnis perturbationibus sumi possunt. Magnae autem doses, sine aliquo vehiculo involvente ac tuente propinatae, nimia irritatione inflammationem efficere valent, dum minores post usum diuturniorem, Plumbi carbonici effectus producant. Plumbum carbonicum vim fortiter adstringentum prae se fert, contrahit membranas mucosas et musculares, atque telam cellulosam, coarctat intestini lumen, obstruit vasorum absorbentium ostia, et systematis nervorum vegetativi actionem vitalem non tantum ipso applicationis loco, sed remotiori-

bus etiam in regionibus frangit. **Veneficii Plumbi** effecti symptomata celerius apparent, absorptione per intestinum facta, quam per cutem, quia tunc ipsum vegetationis focum tangit, cujus jam sola topica affectio magnum asferre valet damnum. Impedita secretio succorum ventriculi propriorum, assimilationi obstat, nutritio, ad minimum reducitur, fortasse omnino tollitur, quod multo etiam citius eveniret, nisi resorptione residuorum processus vegetationis, cessatio perfecta actionum organicarum aliquamdiu praecaveretur, quam tamen et ipsam resorptionem ingens macies necessario sequitur. Altera ex parte sanguis non reficitur substantiis extrinsecus assumptis, altera in organis contractis atque paralyti affectis secretio et excretio cessant. Qua quidem ex re quis non videt mala quam maxime complicata exoriri posse, quae omnia characterem suppressae actionis prae se ferant?

**Pulmonibus** res tantum vaporum sub forma percipiuntur, quam quidem subire nequeunt nisi **Plumbi oxyda** et **Plumb. carbonic.** — Organa illa, quum magnam habeant et specificam in incitamenta topica incitabilitatem, vaporibus **Plumbi** vehementer irriterentur necesse est, ita ut constrictiones quasi spasticae exoriantur, et vero facile reactio pulmonum inflammatoria sequatur. Jam ipse larynx pars est perquam sensibilis. Influxus, quem pulmones alia in systemata consensus ope exercent, exiguus est, nec ulla parte cum cutis et intestini influxu comparandus. Quum vero nullibi sanguis substantiis extrinsecus ad-

vectis tam arcte tamque perfecte tangatur, nec usquam alias materiae directius in sanguinem transeat, profecto celerrime **Plumbi** veneficium pulmonibus excipi posse videatur. Dubito tamen in opificibus vel officinae metallicae, vel aliis unquam hac via colicam saturninam esse effectam, quum certe multo citius pulmonum vitia, constrictionibus, stimulo alieno excitatis, provocata, valetudinis et vitae discrimen adducere deberent. Inter inhalationem vapores **Plumbi** verisimiliter a membrana mucosa nasi, oris et faucium retenta, insuguntur, vel cum saliva et cibus commixta in intestina perveniunt. Simul etiam per cutem absorbentur, quomobrem vaporum vi, semper tantum chronicam, tarde se evolventem et diu durantem colicam saturninam exoriri observaverunt.

**Vidimus igitur Plumbum** fere omnibus sub conditionibus sat validos impetus facere in oeconomiam animaleam, quae quidem ipsa efficacitas vix evitabilis effecit, ut medicamentorum in numerum reciperetur. Parum forsitan dubitassent, remedio illo omnibus fere in morbis uti, quorum, symptomata effectibus ingesti **Plumbi** contraria essent, nisi altera ex parte veneficii metus eos retinuisset, altera potius dynamici **Plumbi** effectus, et status morborum, quibus illi responderent, scrutantium animos in se convertissent. Quare si nobis persuasum

est, ne in sanis quidem hominibus semper effectus noxios Plumbi usum sequi, partim quod difficile ab organismo assimiletur, nec ideo omnem suam vim exercere possit, partim quod non semper organismi vires ab eo frangantur, quum certe Plumbum aceticum rationes ejus salutare non omnino tollat (cujus rei documentum habeo auctam alimentorum appetentiam et vomitionem); nihil restat nisi ut demonstremus Sacch. Sat. quibusdam morbis, et ex iis praecipue pneumoniae apte et commode opponi posse. Quod quidem vel ratione et via effici licet, virtutibus Plumbi aceticum cum peculiari caractere et natura morborum accurate comparatis; vel empirice, dum morborum, quibus adhibitum fuit symptomata maximi momenti et remedii effectum attente perquirimus. Quo facto constituere conabimur, quibus sub conditionibus Plumbo acético in pneumonia locus esse possit.

Extra limites hujus quaestionis situm est, varias opiniones de inflammationis natura prolatas proponere atque comparare, quare eam ratione nostrum ad scopum sufficiente, verbis clarissimi Lorinser (1) designare liceat, tanquam actionem vasorum sanguiferorum, praecipue systematis capillaris intentam, cui morbosa vegetatio nis producta originem debeant. Argumenta hujus definitionis, et mutationes inflam-

mati organi et symptomatologia inflammationis praebent. Ut de processu morbo, qui in pneumonia locum habeat dijudicemus, organicis mutationibus usi sumus, quas autopsia cadaverum in pulmonibus pneumonia confectorum nobis monstravit, secundum quas, praecunte Laennec, tres pneumoniae gradus discernere possumus, quorum primus pulmones sanguine justo magis repletos ostendit, alter exsudationem lymphae plasticae qua structura cellulosa parenchymatis evanescit, tertium pulmonum destructionem complectitur. Sed pathognomonica etiam signa, vitam alicujus sphaerae systematis arteriosi auctam esse probant, qua efficitur, ut extremi arteriarum fines, suo quasi arbitrio agentes, novas sibi circulationis vias aperiant. Major sanguinis copia, ejusque celerius propulsi, in pulmones confluit, eosque latius expandit, atque amplificat. Quum vero sanguini ad partem morbosam amittenti non sufficiant canales normales, nova sibi fingit per telam cellularem vasa, parietibus peculiaribus carentia, in quibus sanguis e communi circulatione exemptus, retardatur, accumulatur, stagnat. Qua quidem re, graviter laeso parenchymate, propria pulmonum vita in discrimen vertitur. Hanc subit rationem processus ille, quam inflammationem vocare solemus, qui tamen non tenore quodam non interrupto progreditur, sed secundum observationes clarissimi Kaltenbrunner, pulsationes rhythmicas patitur, continuo vacillans, intentione ejus atque extensione nunc deminuta nunc accrescente. Momentis temporis sic, ubi processus morbosus

1) Lorinser: die Lehre von den Lungenkrankheiten. Berl. 1823.

de vi sua aliquantum remittit, vita telae cellulosae expergefata, vincula ab illo sibi imposita frangere conatur. Unde bifarius eventus: largiter prorumpunt secretiones adhuc retentae, eae vero mutatae, quia et materia ex qua formantur, sanguis, et locus formationis, parenchyma, morbo correpta sunt. Eodem simul tempore exoritur formatio, nutritio, substantiarum procreatio atque appositio, exsudatio, quam vocant lymphae plasticae; quam tamen formationem Kaltenbrunner ope microscopi, nihil esse cognovit, nisi turbidum depositionis processum. Sunt quidem illae exsudationes lymphae plasticae quasi crises habendae locales, quare eas vir acutissimus Schönlein pseudo-crisis vocavit. Ut textura cellularis, ita nervorum etiam systema, praevalente vasorum actione in functionibus suis normalibus impeditum, ad reactiones se erigit. Et ex hoc sublato omnium principalium organi illius systematum aequilibrio, symptomata se evolvunt morbi cognitionem adjuvantia: sensatio et doloris et pressionis, et vero nimiae plenitatis, respiratio impedita, spirationibus brevibus, exiguis et acceleratis manifesta; tussis principio quidem fortasse sicca, postea vero cum excretionem mucii liquidi, spumosi vel etiam cruenti, aut contra viscidae atque tenacis conjuncta, qui remittente inflammatione crassior et magis albidus fit. Huc accedunt, tanquam reactiones quaedam generales, symptomata febris universalis varii characteris. Cognitio diversorum inflammationis graduum, quos etiam totidem stadia habuerunt, (Lorinser), rite aestima-

tis quae modo attuli symptomatibus, imprimis suppletur atque confirmatur percussione et stethoscopia.

Finis princeps, quem in pneumonia curanda ars sibi posuit, si modo artis auxilio opus est, eo spectat, ut in aegroto actiones quaedam, quibus solutio inflammationis fiat, et conserventur et provocentur. Quod quidem, ut assequamur, inflammationis progressus sunt prohibendi, vasorum sanguiferorum actio modum excedens temperanda, productum morbi materiale removendum, uno verbo: contentus systematum normalis, in pulmonibus, quantum fieri potest, restituendus.

Primo morbi gradu vel stadio, nullum est ex omnibus remediis nobis notis, quod cunctis hisce indicationibus aequae respondeat ac sanguinis detractio. Hac enim coercetur arteriarum vita e limitibus suis excedens, maximaque ex parte tollitur influxus ejus infestus in reproductionis processum. Nam ubi sanguis vitam suam supra quam fas est tueri conatur, et pro omni mutatione, ex novis novas sibi aperiens vias, sphaerae sibi praescriptae fines profert, ibi non perficit ad quae procreatus est, scilicet ad progignendam materiam formationis primariam ejusque metamorphoses simplicissimas, succos secretos. Quamobrem summo inflammationis gradu omnes secretiones sublatas videmus, exceptis forsan secretionibus cruentis, criticis quasi organisimi moliminibus, illa autem domita, surgunt suppressae actiones systematis nervosi, telae cellulosae, vasorum deducentium. Pulsus ad statum normalem rever-

titur, sedatur respiratio, cessat dolor, producta inflammationis aut resorbentur aut ejiuntur, restituntur simul suppressae aliorum organorum functiones normales, liberantur cutis, renum et intestini excretiones. Potest quidem contentus systematum sublatus, ipsa tantum sanguinis circulatione hoc modo restricta, restitui, adjuvatur autem et acceleratur quam maxime apto regimine, diaeta parca et blanda, remediis refrigerantibus, involventibus, sanguinis circulationem coercentibus, vel secretionem adjuvantibus.

Non vero semper nobis succedit, ut detracto sanguine, omnes statim turbas compescamus, et totum plane extinguamus inflammationis processum, praesertim quum stadium regressivum jam ipsum per se tardius decurrat, quam stadium progressivum. Fieri igitur potest, vel ut inflammatio, temperata quidem et imminuta arteriarum actione, perducat, vel ut phlogosis longius procedat, ejusque actio productiva morbosa continuetur. Quod quidem fieri solet, ubi cetera systemata in pulmonibus nimis fortiter et nimis diu vexata sunt. Sic lymphae plasticae exsudatio, propter naturam depositae atque profusae materiae morbosam, nervos et textum cellularem, loco quo confluit, irritat et lacessit, ibique, nisi removetur, temporis decursu necessario maximas excitat turbas. Coalescendo enim parenchyma pulmonum devium reddens et indurans, hepatisationem sic dictam adducens, motum telae cellularis, ad propellendam exsudatum plasticum superficiem versus et fines aegrotantis organi, ne-

cessarium, fere omnino tollit. Venaesectio iterata hoc in casu plerumque noxia foret, (experientia et auctoritate clarissimi Lorinser); quum ubi actio enormis jam progignenda lymphae plastica exhausta est, et debilitatem indirectam protulit, haec tantum abest ut venaesectio facta cesset, ut potius necessario etiam adaugeatur.

Ut igitur integritas organi laborantis perfecte restituatur, praeter domitum systema sanguiferum, valido etiam auxilio ceterorum systematum, pulmones constituentium, opus est. Saepe enim aut nervorum vel exaggeratam vitam deprimere, vel actionem eorum exhaustam incitare, aut rursus telae cellulosae propriam contractilitatem, sanguinis profusione, vel exsudatione lymphae plasticae coercitam, aut plane sublata, erigere debemus, quippe quae ex parte sanguinis per vasa minima circulationem regant. Priori indicationi ex parte Narcotica, sed etiam Epispastica, et vero, id quod Brunonis disciplinam aliquantum sustinuerit, Excitantia respondent, quae quidem remedia magis fortasse nervorum viribus, super systematis sanguiferi actiones exaggeratis, quam nimia irritatione et debilitate inde provocata profuerunt, quamquam et haec atrox virium certamen necessario plerumque sequebatur. Alteram indicationem, ubi ea temperatis et moderatis vasorum et nervorum actionem nihilominus persistit, hac fere ratione explere conantur. Primum remediis resorptionem incitantibus, quum secundum perscr-

tationes microscopio institutas, in partibus inflammatis et absorptio et resorptio omnino deficient, vel tantum remissionis momentis fiant, deinde remediis, quae liquefactioni succorum favent, plasticitatem minuunt et secretiones intestini atque glandularum salivalium augent, ut Calomel, tum remediis expectorationem adjuvantibus, qualia sunt variae species pectorales, praeparata Antimonii, Expectorantia irritantia Polygala amar. Senega etc., tum remediis succorum affluxum ad alias corporis partes derivantibus, vel denique remediis iis, quae sublata textus cellularis laxitate, ideoque restituta contractilitate, efficiunt, ut succi moveri atque excerni possint, ut remedia adstringentia, et huc demum Plumbum aceticum optimo jure referri potest. Quam quidem vim restringentem quo modo Sacch. Sat. evolvat jam supra vidimus, quum enim principio chemice tantum locum cui applicatum est afficiat, absorptione perfecta, ratione dinamica via eadem procedit, transitu in systema nervosum facto celeriter hoc corripit, effectum remotioribus etiam in locis prolicat, et suppressa actione nervorum vegetativorum, telam cellulosa, vasa capillaria, membranas mucosas sibi subjicit. His ipsis jam inflammationis processum cohereri posse nobis persuasum est, quum praeter moderandas systematis vasorum actiones, id agatur partim ut augeatur telae cellularis contractilitas, quo facilius novis impetibus resistere possit, partim ut praeponderans actio conductoris animalis vegetationis (in morbis vero metamorphoeos morbosae) reprimatur ac restrit-

gatur. Etiam circuitione quadam et indirecte Sacch. Sat. ut remedium antiphlogisticum agit, vasa adducentia, nutritionis atria, claudens; quo fit, ut propter minorem substantiarum organicarum receptionem, exaggeratio etiam actionum principalium organicarum in vasis lymphaticis, et per omnem apparatus sanguiferum exoriri solens, necessario minuatur. Impedita autem assumptione, vasa reducentia altiore vim evolvunt; substantiae exsudatae resorptae, metamorphosi organicae implicantur et nutrimentorum deficientium loco vegetationis processui subjectae, in circulationem sanguinis perveniunt, denique organis secretoriis excernendae traduntur.

Quamquam vero ratione ea, quam exposui, resorptio tam necessaria tamque propitia incitatur, non possum tamen quin hoc loco adnotem, Sacch. Sat. nonnunquam etiam excretionibus, plerumque quam maxime necessariis obstaculo esse posse. Scimus enim Plumbum acetic. actiones vasorum excernentium prohibere, quum fortasse non semper effectui ejus, arteriarum fines contrahenti, sat magnum obstet impedimentum; praecipue si, quod clarissimi Laidlaw atque aliorum experimenta probaverunt, celebritatem circulationis impedire valet. Facile intelligitur, ubi de salutari nostri remedii potestate dijudicaturi simus, non nihili habendum esse tam grave incommodum, quod usum ejus aliquantum coercere et restringere possit. Elucet enim ex iis quae praemisimus, liberam atque non impeditam circula-

tionem per minima vasa, non minus ad solutionem quam quaeramus requiri, quam ipsam sanguinis evacuationem; partim ut novae stagnationes praecaveantur, et sanguis, e telae cellulosaee canalibus ejectus, excipiatur atque deducatur; partim ut in formationibus membranosis et glandulosis actio systematis arteriosi, ad excretionem necessaria, sustineatur. Cujus quidem suppressio eo perniciosior est, quo plus in ea momenti ad crisis situm. Quod Sacch. Sat. etiam ciborum appetentiam auget, non maximi faciendum videtur, quum appetitus ille non facile usque ad molestum famis sensum exaggeretur. Hoc tamen effectus secundarios parum propitios removeri posse, idque qua ratione sit instituendum, ea de re postea verba nonnulla adjiceam.

Transcamus jam ad contemplandam Sacchari Saturni in morbis iis efficacitatem, quorum fausti exitus ea, quae quaestionibus via et ratione institutis edocti eramus, confirmavit. Nitor equidem experientia et perscrutationibus insignium medicorum atque pharmacologorum, tamen vero ad summa tantum atque gravissima eorum quae protulerunt me restringens, plura et accuratiora quaerentem ad virorum illorum opera excellentia atque commentationes ipsas relego. Si forte praeter ea, quae hic enumeravi, facta quaedam rem enucleantia me latuerunt, a lectore benevolo inscitiae meae veniam peto, quam etiam requiro, ubi ex-

cerptorum, quae attuli, plurimorum brevitatem, animum ejus offendat.

Morbi, ad quos Plumbum aceticum interne, fausto plerumque exitu adhibuerunt, sequentes sunt:

## I. Morbi nervorum chronici.

„In hisce Richter (1) aliquid de Sacch. Sat. usu expectandum esse arbitratur, si de magna laxitate cum sensibilitate totius systematis arteriosi, morbose adaucta, dependeant, et cum anomalibus secretionibus conjuncti sint.“ Contra epilepsiam ex onania profectam, jam a Paracelso, et postea a clarissimo Osann et Lieutaud commendatum est, In spasmodicis hystericis Saxtorph Plumbum aceticum, deminuta nimia receptivitate systematis reproductivi, prodesse vidit; Smith in Hydrophobia effectus salutare ex eo se percepisse praedicat. Denique etiam in nymphomania utilitatem ejus cognoverunt.

## II. Vasorum sanguiferorum morbi.

Ad sistendas haemorrhagias asthenicas.

Tanquam remedium fibram valide contrahens, Plumbum aceticum negligi non po-

1) l. c.

terat in morbis, sublato vasorum tono nitentibus, et saepe cum successu ad cohibenda sanguinis profluvia in metrorrhagiis, in haemoptisi, haematemesi, epistaxi (a causa venerea a clariss. Reynolds) et in mictu cruento adhibitum est. Quum vero nonnullis medicis practicis nimis audax videretur Plumbi acetici usus statim in principio talium haemorrhagiarum, frustra demum adhibitis Narcoticis, Acidis, China, Alumine, Catechu, Kino aliisque remediis maxime celebratis, ad illud accesserunt. Solis in haemorrhagiis habitualibus, et in iis in universum ubi atonia fibrae, et aucta incitabilitas tenuissimorum vasorum eorumque finium proximam mali causam praebant, praesertim adjuncta nervorum actione morbosa, plurimum commodi e Sacchari Sat. usu perceperunt. In haemorrhagiis sthenicis antiphlogisticorum tantum, derivantium etc. spectata est efficacitas, adstringentibus solum inter remedia externe adhibenda locus est datus. Relego hac de re lectorem benevolentem ad ea quae Osann, Amelung, Kopp (1), Richter, Schönlein (2), Krimmer (3) et alii experti sunt. Bertin (4)

- 
- 1) Beobachtungen im Gebiete der pr. Heilk. 1821.
  - 2) Schönleins Vorl. über allgem. und spec. Pathol. und Ther. 1832.
  - 3) Hufsl. Journ. Aug. 1834. Schmidts Jahrb. 1835. Bd. 6. Heft 2.
  - 4) Hecker's lit. Annal. 1828. Bd. V. Richt. Arztlil.

contendit, se effectum Sacch. Sat. salutarem vel in aneurismate aortae cognovisse.

### III. Morbi organorum excernentium.

a) Ad suppressenda profluvia morbosa e genitalibus.

Rarior fuit Sacch. Sat. hisce in morbis usus, et arctioribus finibus circumscriptus, nihilo tamen minus a medicis nonnullis veterioribus, et e recentioribus a clarissimo Oslander, optimo cum successu ad comprimenda profluvia morbosa in blennorrhoea urethrae atque in gonorrhoea adhibitum est. Si blennorrhoea urethrae chronica magna laxitate membranae mucosae sustentatur, dubitari quidem non potest, quin hoc etiam in casu Sacch. Sat. vim suam constringentem probaturum sit; num vero illud in morbis qui aliis etiam remediis, totum organismum minus graviter afficientibus, vinci ac superari possunt, magnopere sit commendandam, haec alia quaestio est, quamque equidem solvere non audeo. Clariss. de Hildenbrand Plumbo acetico etiam contra fluorem album uti suadet, quam quidem rem num experientiam confirmaverit nec ne, me adhuc ignorare fateor. Non tantum propter vehementem ejus effectum in systema reproductivum, sed magis etiam propter similem in partes genitales, Sacch. Sat. in gonorrhoea usus defendi sane potest, nar-

ratque Osann illud a Tronchin, van Swieten, Musitano, Astruc et Fr. Hoffmann successu felici contra morbum illum datum esse. Similes successus Osiander (1) etiam observavit.

b) Contra profluvia morbosa ex intestinis facta.

In diarrhoea et dysenteria clar. Osann, Pitschaft, Osiander, Burke, Thilenius, Sahmen atque alii multi, quos jam numeravi, vim Sacch. Sat. salutarem multifariam experti sunt. Praebetur hoc remedium ubi morbi illi atoniae characterem prae se ferunt, et intestini debilitas cum magna receptivitate conjuncta est, si aegroti vires, perturbata nutritione, diuturna atque continua suorum jactura, quam maxime fractae sunt, somnus atque ciborum appetitus deest, et fortasse etiam febris hectica accessit.

c) Contra pulmonum secretiones alienatas atque eorum status vel laxitatis vel inflammationis.

In pulmonum morbis temporibus et antiquioribus et recentioribus, Plumbo acetico plurimum loci datum est, quippe quod saepe salutarem suam vim in morbis iis manifestaverit, qui aliis remediis pertinaciter re-

---

1) Osiander's Entwicklungskkhten. 1818.

stiterunt. Non tantum in catarrhis chronicis magnam laxitatem membranae mucosae bronchorum auferre, vel phthisin pituitosam, id quod experientia multifariam probavit, radicitus tollere valet, sed etiam non raro in phthisi ulcerosa multum attulit auxilii. Minime enim debilitans, antiphlogistici tamen remedii partes agit, inflammatione atque calore temperando. Comminuit sudores atque diarrhoeas colliquativas, et deprimit nimiam ulceris pulmonis receptivitatem, quae ejus sanationi imprimis obstat; qua re virinum, in quibus tantum momenti positum est, collapsum aliquamdiu praecavere potest. Ex ejus fautoribus nominatim non afferam nisi clarissimum Hildenbrand, Horn (\*), Amelung, Kopp (1), Hirschberg (2), Wolf (3), Kausch (4), Osiander, Greiner (5), Kapp (6), Fouquier (7), Weber (8), Lenz (9), multi autem praeterea huc pertinent medici excellentissimi jam saepius allati.

---

\* ) Horn's Archiv für med. Erf. 1808. Bd. 7.

1) Beobachtungen im Gebiet der pr. Heilk. 1821. Huf. Journal. Bd. 29. St. 2.

2) Huf. Journal. Bd. 31. St. 5.

3) Ibid. Bd. 34. St. 4.

4) Ibid. Bd. 38. St. 2.

5) Allg. med. Annalen. 1811.

6) Ibid. 1817.

7) Caspers Charakteristik der franz. Med.

8) Grundzüge der Consumtionskkhten der Lungen. 1823.

9) Heidelb. klin. Annal. Bd. 4.

Ut Sacch. Sat. statibus inflammatoriis chronicis pulmonum in phthisi optimo cum successu oppositum est, ita illud Ritscher etiam in pneumoniis acutis, (in quibus, secundum ejus sententiam, suppressione exsudationis in tela cellulosa pulmonum factae et in eorum membrana mucosa agit) saepe multo cum successu adhibuit. Num vero post eum praeferat Chevalier et Salmen, alii etiam viri docti observationes rem confirmantes instituerint, equidem me nescire fateor. E magno numero observationum, quas Ritscher publici juris fecit, tres tantum hoc loco referam, et vel eas aliquantum praecisas; adjungam observationes nostro in nosocomio factas.

### Historia morbi Vta Ritscheri.

Pistor quidam XLIV. annos natus, ad pulmonum inflammationem dispositus, ut qui oblectationis causa tibiis caucere solebat, jam inde a die XIVmo mensis Maji, praegresso frigore, laboraverat, calore, anxietate, respiratione brevi, et doloribus pectoris. Tussis rauca et obtusa ac difficilis erat, eaque multa sputa cruda, substantiae spumosa, sanguine tinctae, croceae, eiciebantur; pulsus plenus et fluctuans, ictus XC fecit s. h. p. Venae-sectione vespere die XVto ejusd. mens. instituta, atque XVImo mane iterata malum vel invaluit, sanguis permagna crusta inflammatoria tectus, sputa enormia erant, cruenta, spu-

mea; respiratio foede stertorosa. Mixtura o Nitro et Tart. emetico facta, quae adhuc adhibita fuerat, nunc alternis vicibus cum Calomelane et Sulph. aurat. antimon. aa grj praebatur, et meridie die XVImo tertia instituta est venaesectio, quae tamen et ipsa non multum effecit. Pulsus jam mollis erat, intermittens, et C ejus numerabantur per s. h. p. ictus. Facies caerulea apparebat, magna aegroti erat anxietas, murmur in pectore horribile, sputa eadem, quae prius. Tum Ritscher mixturam praescripsit hanc: Sacch. Sat. gr. jii, Laudan. liquid. Sydenh. ℥j, Aqu. Cerasor. nigr. ℥iv, Succu liquirit. ℥jj, sumatur tertia quaque hora cochlear majus unum.

Quod quidem medicamen quum aegroti bis propinatum esset, sputi ejectio levis evasit, anxietas parva, pulsus ictus fecit XC, et vel ciborum etiam quaedam appetentia exorta erat. Die XVIImo mensis Maji status pulmonum optimus erat, accesserant deliria, micem et pacificam moriam prae se ferentia, non raris intervallis lucidis, eaque continuo decrescientia. Respiratio fore normalis reddita erat, tussis valida nonnunquam oboriens sputa perfecta cocta ejecit. Cutis vaporosa erat et calida, vultus liber et dolorum signis vacuus, pulsus LXXVies s. h. p. pulsavit. Quum die sequente in locum mixturae e Saccharo Sat. solutio Kali acetic. et Mellag. Gram. praescriberetur, incommoda pectoris rursus crescere coeperunt, ita ut medicus die XXImo m. M. priorem mixturam e Sacch. Sat. repetere cogeretur; quo facto omnia de-

nuo celeriter in meliorem partem versa sunt, et adhuc sex pulveribus e Sacch. Sat. et Opii aa gr.  $\frac{7}{8}$  per biduum sumtis, transitus fieri poterat ad gelatinam Lichenis island. et Polygal. amar. quibus curatio absoluta est, sublata etiam maxime ex parte proclivitate ad catarrhos, quibus adhuc aegrotus post quodque refrigerium vexatus fuerat.

### Vita ejusdem morbi historia.

Femina quaedam LVIII annorum, satis macilenta, vehemente pneumonia correpta, multum levaminis e venaesectione, adjunctis Nitro, Digitali et Tart. emetic. acceperat. Quum vero VIII diebus post, propter inflammationem recidivam, altera venaesectio instituta esset, postridie ejus diei status aegrotae in pejus ruere coepit. Sanguis utroque casu missus, crusta inflammatoria tectus fuerat, tussis jam sicca et difficilis erat, anxietas permagna, atque orthopnoe locum habebant. Pulsus mollis et intermittens, centies s. q. h. p. pulsavit, aderant deliria mussitantia atque magna debilitas. Mixtura ex Extr. Digital. purp. gr. IV, Aq. Cerasor. nigr.  $\mathfrak{z}\text{ij}$ , Sacchar. Saturn. gr. I, Laud. liquid. Syd. gutt. XV facta, cujus cochlear majus unum quarta quoque hora sumendum praescribatur, mox statum aegrotae meliorem reddidit, quae paucis diebus post omnino sanata apparebat.

### XVita morbi historia.

Femina quaedam robusta XXXIII annorum, principio alterius partis tertiae graviditatis, vehemente pneumonia laborans, vel duabus jam venaesectionibus factis, propinatis praeterea Nitro, Sale ammoniaco, etc., quarto morbi die adhuc vexabatur anxietate, respiratione stertorosa, tussi obtusa et sicca, deliriis blandis et capitis doloribus. Sumto Sacchar. Saturn. cum Opio et Extr. Digital. melius se habere coepit aegrotata, sed alvi obstructione laborabat. (Ol. Ricini). Infricatio Ungti Tartar. emetic. punctiones cordis vel exaugere videbatur. Bitscher aegrotam Vto die conspexit, ubi anxia valde tussivit et sputa jam semicocta exscreavit, pulsus LXXX ictus s. h. p. fecit, cutis vaporosa erat, alvi evacuatio regularis et tussis impetibus suis saepe tussi convulsivae similis. Mixtura plumbica supra allata, omissa tantum Digitali, uti perrexit, qua re sanitatem patientis celeriter restituit. Pneumonia recidiva novo refrigerio oborta Opio atque Liquore Mindereri mox sublata est. Serius felici partu infantem sanum edidit.

Omissis casibus a Chevalier observatis, ad eos transeo, quibus curandis Salmen praefuit.

### Observatio prima.

Nichanda Mustapha, artis seriniariae tiro,

annos XXII natos, originis Turcicae, constitutionis robustae, temperamentum cholericum, feliciter superatis in juventute, aetatis illius morbis, morbillis, scarlatina, al., anno anteacto blennorrhoea urethrae et scabie laboraverat, jam vero iis liberatus erat. Nunc autem iter faciens Dorpatum gravedine continuo vexabatur, cumque eo pervenisset, post usum spirituosorum modum excedentem, et litem multo cum stomacho habitam, quam rursus coena secuta erat immodica, magno frigore et calore illud sequente, et capitis doloribus correptus est. Paulo post vomitiones fieri coeperunt frequentes, quibus ciborum residua, et fluida biliosa evacuebantur. Principio alvi dejectio aliquot dies cessaverat, mox autem in obstructionibus locum diarrhoeae secutae sunt. Die tricesimo mensis Aprilis nostrum in nosocomium exceptus est, quo tempore haec ejus fuit conditio: **Habitus** collapsus erat, dolor capitis tenuis, oculi rubefacti et humidi erant. Aegrotus de aurium susurru et nonnunquam vertigine querebatur, apertura narium externa substantia quadam sicca, pulverulenta investita erat, praecesserat sanguinis e naribus profluvium. **Lingua** sicca et muco e flavo-fusco tecta erat. **Respiratio** accelerata, XL numerabantur s. h. p. spirationes. **Alta** inspiratio doloris sensum dextro in pectoris latere excitavit. **Auscultatione** stethoscopio facta, sonitus respirationis ubique clare exaudiebatur, excepto spatio quodam parvo, nonnullis pollicibus subter mamma sinistri pectoris sito, ubi nullam respirationis signum percipi poterat. **Pulsus** CXX ictus s. h. p.

fecit. **Situs** in latere sinistro impeditus erat. **Abdomen** prope hepar, cujus margo tactu sentiri poterat pressione facta dolebat, et vero etiam paullulo infra, in regione ilei satis sensibile apparebat. Tempore matutino alvus pulti similis dejecta erat. **Cutis** calore subflavo, activa erat, nullum in ea animadverti poterat exanthema. **Vires** aegroti quamquam non integrae, satis tamen vigeabant.

**Diagnosis.** Ex his symptomatibus elucebat aegrum statu inflammatorio catarrhali intestini atque hepatis conjuncto cum febre typhoso laborare.

**Curatio.** Quum principio ratione magis expectativa agendum videretur, infusum Ipecacuanhae praescriptum, et regioni hepatis sinapismus impositus est.

**Die** Ivo mens. Maji, Aegrotus parum dormiverat et sex alvi evacuationes habuerat parvas. Mane dolorem sentiebat capitis obtusum. **Lingua** humida erat muco albo, firmiter inhaerente, rimoso obducta. **Pulsus** ictus fecit CXXXIV s. q. h. p., sudor largus erat. **Dolores** hepatis multum remiserant, aeger fere sine molestia inspirare poterat. **Urina** colore erat saturato et nubeculam monstravit. **Usus** infusi Ipecac. continuabatur.

**Die** IIo m. M. **Somnus** inquietus cum deliriis, dolor capitis obtusus, lingua sicca, cutis urens. Aegrotus sudabat sed minus largiter quam die anteacto. **Pulsus** ictus fecit CXXXVI s. q. h. p., duae sequebantur evacuationes alvi fluidae. **Hepar** pressione facta perquam dolebat, exoriebatur tussis cum sputo

coloris ex rubrofusco. Inspiratio alta perfici poterat. Decem hirudines dextrae abdominis parte impositae sunt, atque Inf. Ipecac. repetitum.

Die IIIto m. M. Somnus inquietus cum deliriis, vires perquam delapsae, lingua et labia sicca, nares pulvere tectae, alvi evacuatio una eaque fluida. Pulsus ictus fecit CL. Hepatis quidem dolores aliquantum remiserant, sed respiratio mirum in modum brevis atque angustata erat, spirationes L quaque s. h. p. continens. Tussim frequentiore, sputum cruentum et mucosum vomitabatur. Oppressio in pectore validissima erat. Quaestionibus stethoscopio institutis. respiratio in dextro pectoris latere clare et perspicue cognosci poterat, in sinistro latiore quam prius spatio nullus omnino respirationis sonus animadvertebatur. Sonus percussiois hoc loco obtusus erat. In bronchorum ramulis crepitus mucii perspicue exaudiebatur, quo quidem ex symptomatum complexu extra omnem dubitationem apparebat, pneumoniam locum habere peracutum. Hoc in rerum statu periculoso, quum propter magna aegroti debilitatem venaesectio institui non posset Sacchari Sat. gr.  $\frac{1}{2}$  binis horis sumendum praescribatur, alternatim cum Inf. Ipecac. et Angelic. Suris sinapismus imponebatur.

Die IVto m. M. Remiserat frequentia respirationis (XXXVI spirationes q. s. h. p.) et pulsus (CXXictus), sputamina non amplius cruenta; lingua vero adhuc sicca erat. Praevalebat stupor, habitus typhosus in oculos cadebat.

Sermo impeditus erat et balbutiens. Sacch. Sat. quotidie quater gr.  $\frac{1}{2}$  sumendum praescripserunt et infusioni supra commemoratae, addebatur Camphorae  $\alpha\beta$ . Nulla hoc die alvi evacuatio facta est.

D. Vto m. M. Somnus inquietus et deliriis turbatus fuerat, cutis hic et illic subvaporosa apparebat, in pectore exanthema animadvertebatur exiguum, miliaribus simile. Symptomata pneumoniam indicantia aliquantum remiserant, pulsus ictus fecit XCVI s. h. p. — Quum nulla alvi dejectio secuta esset, Sacch. Sat. usus omittebatur, mixturae continuatus est. Vespere alvus fluida dejecta est, puls. ict. fecit XCII, excreatio rursus sanguinea erat.

D. VI. m. M. Hujus diei decursu alvus pulti similis dejecta est, puls. ict. fecit XCVI q. s. h. p. et molestiae in pectore perceptae exaggerebantur. Ea de causa rursus Sacch. Sat. gr.  $\frac{1}{4}$  quarta quaque hora sumendum praescribatur, et illius atque mixturae supra commemoratae usus usque ad Xmam Maji diem continuatus est; quo quidem die praegressis cribus convalescere coepit. In curatione reconvalescentiae Polygal. amar. et Angelic. adhibita sunt, nec ita multo post aegrotus sanitate omnino restituta, dimissus est.

### Observatio secunda.

Fridericus Schmidt XXV annos natus, tenerae constitutionis, temperamenti sanguinei,

quam, spirituosus supra modis haustus, vehementi refrigerio se exposuisset, die XVto m. April. pectoris doloribus et febre laborare coepit. Nocte, quam in somnem et deliriis plenam peregit, mala illa exaucta sunt, simulque tussis exoribatur. Postero die artis auxilium quaerens, omnia prae se tulit excultae pneumoniae signa, qua re X sanguinis unciis ope venae sectionis detractis, Nitri solutio in Decocto Althaeae ei propinabatur, cuius tamen in loco, propter frequentes alvi dejectiones diarrhoicas, mox mixtura e Tart. emetic. grj, Extr. Hyosc. gr. vj, in Althaeae Decocto summanda, suffecta est. Status aegroti aliquandiu fere idem mansit, quotidie aliquot alvi dejectiones fluidae fiebant, pectoris mala vespere versus exasperabantur; noctes turbidae erant, atque deliriorum et visionum plenae; vox aegri tenuis et exigua. Die Aprilis XXIIa tempore post meridiano in nosocomium nostrum receptus est. Febris tunc imprimis vigeat, pulsus ictus fecit CXXVIII s. q. h. p., faciei turgor exiguus, musculorum vires maximopere deminutae erant. Respiratio frequentissima, crepitans, abdominalis, cum intensione musculorum colli fiebat; alae nasi multum agitabantur. Pectoris dolor, quem aeger praecipue dextro in latere sentiebat, aliquantum quidem remiserat, nondum tamen situm in parte morbosa permisit. Tussi mucus crassus, coloris subflavi proiciebatur. Inspiratio altior satis perfecte absolvi poterat. Vox clangore carebat. Exploratione stethoscopio instituta, in sinistra pectoris parte validus et clarus respirationis sonus per-

cipiebatur. Dexter pulmo et ipse quidem omnino activum et agilem se praebebat, sed regione sextae costae perspicuus inflammationis strepitus exaudiebatur, et hoc loco etiam sonus percussiois obtusior erat. Pulsatio cordis valida erat, et paullulum tundens. Abdomen doloribus vacabat, sed musculi ejus erant intenti, et impulsu facto somnum reddebant fuscum. Alvi dejectiones propriae hoc die locum non habuerunt, saepius vero alvi evacuandae cupido aegro exorta erat, plerumque inanis vel parum efficiens. Interna uasi facies pulverulenta apparebat.

**Diagnosis.** Pneumoniam acutam minoris gradus adhuc locum habere, neminem fugere poterat. Nullibi exsudationem exortam esse, larga urinae secretio probavit. Febris principio quidem synochae characterem prae se ferens inflammationem topicam comitabatur, postea vero characterem nervosum induit. Cujus quidem mutationes documenta praebebant magnus virium collapsus, visiones, pulsus frequens ac irregularis, ingens capitis obtusio, adpectus nasi interioris pulverulentus, alvus tenesmodica.

**Curatio.** Quum inflammationis plurima vis artis ope jam fracta esset, symptomata febrilia imprimis animum in se verterunt; quae ut temperarentur Infus. Ipecac., et ad discutendam reliquam inflammationem Calomel praescriptum est, quo facto die sequente XXIII m. April. febris aliquantum deminuta videbatur, quae tamen die post rursus omnem suam vim nacta est. Vespere ejusdem diei pectoris mala

ad altitudinem suspectam accreverunt. Facies livido-rubra, respiratio perquam brevissima, angusta, nonnunquam intermittens, et frequens erat (LXXVIII spirationes s. q. h. p., pulsus CXXVies per s. h. p. pulsans, mirum in modum tundens ac irregularis erat. Respirationis sonus stethoscopii ope quaeritus minus perspicuus, urinae secretio perparca erat; quibus omnibus perpensis suspicio exsudationis in pulmonibus factae haud temerarie videbatur. Praescriptum est Sacch. Sat. cum Herba Digitali purp. aa gr.  $\frac{1}{4}$  quoque bihorio.

Die XXVmo mens. April. Aegrotus tranquillus noctem peregerat sub transpiratione communi, ter alvum ejecerat fluidam. Puls. ict. fecit CVIII s. h. p., respiratio spirationes LXVI. Pulveribus Sacchar. Sat. paullulum Opii addebatur. Vespere aeger transpiravit et largam misit urinam.

Die XXVI m. Apr. Somnus quietus erat. Pulsus XCies pulsans; spirationes per s. h. p. LX. Pectoris mala perquam diminuta erant, tussis sputo carebat. Praeter Sacchar. Sat., Infus. Ipec. datum est.

Die XXVII m. Apr. Pulsus XC ictus fecit, spirationes numerabantur XLVI, urinae criticum erat sedimentum, alvus consistentiae erat spissae, tussis exigua, cum sputamento crassiore, usque ad diem Vitam mens. Maji Sacch. Sat. usus continuatus est, donec symptomata omnia periculosa evanissent, quo facto post usum Lichen. island. cum Stipt. Dulcam. septem dierum, aegrotus perfecte sanatus abivit.

### Observatio tertia.

Andreas Herrmann, faber aurarius XXXVIII annos natus, temperamenti sanguinei, puer morbillis, scarlatina et variolis, serius febre catarrhali et nonnullis ab hinc annis bis pneumonia laboraverat. Ut homo vino deditus, nonnunquam etiam delirio tremente vexatus fuerat. Die XXVII Maji violatis diaetae regulis, sequente praeterea refrigerio, atroce febre correptus est, cui vehementes pectoris dolores, tussis sputo cruento stipata, sensus obtusitatis, et vertigo se adjunxerunt. Ciborum appetitus evanuit, sitis acris exoriebatur, urina rubra et fervida erat. A medico, ad quem fugerat, venae-sectione unius libri facta, Nitrum cubicum in Decoct. Althaeae acceperat, quum die Imo Jun. ipso petente nostrum in nosocomium receptus est. Hoc tunc statu erat: habitus aegroti paullulum collapsus, facies e cano alba, oculorum obtutus sublanguens erat, thorax structuram prae se tulit normalem. Querebatur de plenitatis sensu in pectore, de tussi, quam sputa parca eaque non cruenta comitabantur, dolores pectoris nulli erant. Situs utroque in latere ferri poterat, minus tamen commode sinistro sano latere incumbebatur, quum hoc situ spirationum frequentia et tussis auferentur. Inspiratio non plane perfici poterat, interrupit eam tussis, quo casu aegrotus impedimentum dextro in latere situm indicavit, spirationes L s. h. p. fecit, celeriores et breviores quam statu sano esse solebant. Auscultatione dextro in

pulmone strepitus inflammationis et crepitatione animadvertentur, respiratio in inferiore angulo scapulae dextrae minus perspicue audiebatur, ibidemque percussio sonus fuscus erat. Abdomen in pressione satis erat sensibile, et tactu durius et intensius cognoscebatur. Alvi dejectiones fluidae quotidie VIII ad X sine dolore vel tenesmo fiebant; media lingua sicco tegumento obducta; urina pallida et coloris usitati erat. Caput obtusum, non deerant deuria, sensorio tamen alias non turbato.

**Diagnosis.** Elucebat ex iis, quae attulimus, symptomatibus, aegrotum pneumoniae cum intestini affectione et febre characteris inflammatorii laborare.

**Curatio.** Quum post venesectionem illam jam prius institutam, pectoris affectiones recessissent, intestini autem praevalerent, abdomini X cucurbitulae impositae, ad usum internum emulsio praescripta est.

**Die II<sup>do</sup> m. Junii.** Aegrotus propter cubiculi quod obtinebat temperaturam justo calidiorem noctem insomnem egerat. Pectoris affectiones valde adauctae apparebant. Respiratio brevis erat, intenta et accelerata (spirationes LII s. q. h. p.), interstitiae costarum in conspectum veniebant, tussi sputa edebantur spissiora, cum sanguine commixta, pulsus durior et plenior ictus fecit CX s. h. p. — Ope stethoscopiae dextri pulmonis lobulus infimus, imprimis morbo affectus cognoscebatur, quippe ubi strepitus inflammationis et crepitatione audiebatur. Alvi dejectiones fluidae quatuor sine dolore vel tenesmo factae erant. Statui pectoris

depravato altera rursus venesectio unius librae opposita est, emulsionis usus continuatus. Paulo post quam sanguis missus erat, respiratio tranquillior evasit et pulsus nonnullis ictibus minutus, minus durus et plenus apparebat. Sanguis crusta inflammatoria tecta, sanguinis placenta firma et dura erat.

**Die III<sup>to</sup> ej. m.** Somnus satis tranquillum magnus languor secutus erat. Pulsus ictus CIV s. h. p. faciens parum validus erat et quasi volitans. Respiratio ad spirationis XL. s. h. p. factas coniderat; alvi dejectio una fuerat eaque fluida. Quum vires collabi coepissent, emulsioni Sal. C. C. additum est, loco autem morbose affecto vesicatorium admotum. Vesperem versus exacerbatio fiebat.

**Die IV<sup>to</sup> m. Junii.** Aegrotus bene dormierat, vires ejus autem exhaustae videbantur. Sudaverat, querebatur tamen de sensu tensionis ac pressionis in dextra pectoris parte. Tussi sputa ejiciebantur e fusco-rubra cum sanguine commixta. Strepitus perduravit, spirationes laboriosae fiebant XL. s. p. h., pulsus ictus C s. h. p. faciens et nunc invalidus; lingua sicca erat. Alvum fluidam semel evacuerat. Urina parca erat pro portione potus, quem aeger sumserat, minari videbatur exsudatio. Quare praeter emulsionem, Sacch. Sat. cum Herb. Digitali aa gr.  $\frac{1}{4}$  quoque trihorio sumendum praescribatur, vespere autem sinapismi suris applicabantur.

**Die V<sup>to</sup> ejusd. m.** Sensus tensionis in pectore remiserat, respiratio minus impedita erat (XL. s. h. p.), tussi sputa subfusca sine

difficultate ejiciebantur. Lingua humidior, urina et nunc parca erat. Alvus fluida ter dejecta est, pulsus ictus fecit CVIII. s. h. p. Sic remediis illis continuo adhibitis symptomata morbosa paullatim decreverunt, donec die ejusdem mensis nono, crisi perfecta, faustus morbi exitus confirmaretur. In curatione reconvalescentiae Lichen. island. et Polygala amara adhibita sunt, qua quidem obsoluta, patiens mox in pristinam sanitatem restitutus est.

#### Observatio quarta.

Theodorus Schleif, artis scriniariae tiro, XXIII. annos natus, homo macilentus, nullo prius morbo graviore laboraverat, quum duobus circiter annis abhinc catarrho organorum pectoris corriperebatur, qui tussim cum mucis excreatione exigua conjunctum reliquit. E variolis, quibus anno abhinc correptus est, oculorum debilitatem retinuit. Principio mensis Januarii, ejus quo nunc sumus anni, ex itinere reversus, quum jam XII<sup>mo</sup> Jan. non omnino sanum se sensisset, postero die mane expergefactus vehemens frigus febriculosum sensit, omnemque diem dormiendo exegit. Die XIV<sup>to</sup> Jan. capitis et inter inspirationem etiam sinistri pectoris doloribus vexari coepit. Ingens praeterea ejus erat inquietudo et languor.

Die XV<sup>mo</sup> nostrum in nosocomium receptus est, quo tempore hic ejus erat status:

Habitus aegroti paullulum collapsus, cutis ubique fervida et sicca, capitis dolor vehemens, pungens et pulsans erat. Inspiratio alta non sine omni dolore fiebat. Tussis exigua erat et cum ejectione mucis partim spumosi, partim tenacis et flavi conjuncta. Aegrotus utriusque lateri incumbere poterat, sitis erat ardens, ciborum appetitus prostratus. Lingua mucosa obtecta marginibus autem rubicunda erat. Abdomen intentum, et in pressionem altiore praecipue in regione coli ascendente, sensibile apparebat. Alvi evacuatio biduum desiderata fuerat. Pulsus plenus erat, durus, et ictus CV. s. h. p. fecit. Exploratione stethoscopio facta sonus respirationis utroque pectoris lateris debilitatus animadvertebatur, et praecipue latere sinistro infra axillam turbatus apparebat. Respiratio frequens et brevis erat, spirationes XXXIV. ducebantur.

Inf. Ipecac. cum Tart. tartaris. et Gi. arabic. praescriptum est.

Die XVI. Jan. Febris et pectoris mala adaucta reperiabantur jamque cognosci poterant tanquam praevalentes, affectiones pulmonum atque bronchorum. Venaesectio Lib. II. instituta, mixturae usus continuatus est.

Die XVII. mens. Jan. Pectoris affectiones eadem manserant, pulsus parvus et debilis ictus C. s. h. p. fecit; facies pallida, collapsa. Alvus fluida pluries dejecta erat. Ut affectiones inflammatoriae oppugnarentur, respectu habito, status intestini sensibilis Calomel. gr. j, Opii puri gr.  $\frac{1}{4}$ , Sacchar

alb.  $\mathcal{O}j$ , quoque bihorio sumenda et  $\mathcal{I}nf. \mathcal{I}pecac.$  praescripta sunt.

**Die XVIII.** ejusd. m. Decursu hujus diei exanthema se evolvit mox super totum corpus propagatum, quod morbillos esse cognoverunt. Propter affectiones abdominis inflammatorios VIII. ei impositae sunt cucurbitulae. Pulsus durior evaserat et s. h. p. CVI. ictus fecit. Faciei rubor et turgor restitutus erat. Respiratio difficilis ac stertorosa, sputa subcruenta erant. Stethoscopio inflammationis strepitus et crepitatio utroque pectoris latere percipiebantur, sinistro percussio sonum dedit obtusum. Facta est altera venaesectio  $\mathfrak{z}xj$ , contra frequentem vero diarrhoeam clysmata ex Amylo et Opio applicatum.

Diagnosis nunc ita constituta erat, ut morbus morbilli esse dicerentur, cum febre acriter inflammatoria, et pectoris affectionibus, magno in gradu evolutis, ita ut et bronchorum et ipsius substantiae pulmonalis inflammatio (pneumonia) locum haberet.

**Die XIX**no ejd. m. Aeger noctem egerat saepe turbatam, magna erat pectoris oppressio, respiratio brevissima et frequentissima tussivit aeger cum dolore et virium intentione. Crepitatio remiserat, sputa autem adhuc cruenta erant. Tertia venaesectio Lib. II. instituta, usus Calomelanos et  $\mathcal{I}nf. \mathcal{I}pecac.$  continuatus est.

**Die XX**ma. m. J. Sanguis magna crusta inflammatoria tectum se praebuit, pulsus mollior erat (C. ict. s. p. h.), pectoris affectiones eadem quae prius manserant, oppressio perma-

gua erat. Facies pallida collapsa quum sensorium perquam occupatum videretur a venaesectioe jure abhorrentes, derivandi causa sinapismos suris applicaverunt. Calomel dosi duplo majore dari et  $\mathcal{I}nfuso \mathcal{I}pecac.$  Nitrum cubicum addi visum est.

**Die XXI**mo. Sub lucem sudor sat largus evenerat, vultus aegri liberior erat, arteriae XCies s. h. p. pulsabant, respiratio adhuc perdifficilis erat, nec vero pectoris affectiones multum deminutae. Praescriptum medicamen idem, quod prius, omisso Nitro cubic.

**Die XXII**do. Nox turbida fuerat, et deliriorum plena. Respiratio ubique percipi poterat, sed perquam impedita apparebat. Sputamina non amplius cruenta erant, arteriae CVies s. h. p. pulsabant. Mansit medicamen supra dictum.

**Die XXIII**tio. Status aegri idem qui die anteacto erat. Propter alvi fluidae evacuationes fere quotidie satis frequentes, clyster ex Amylo adhibitus est, Calomel ad tempus omitendum,  $\mathcal{I}nf. \mathcal{I}pec.$  uti pergendum videbatur.

**Die XXIV**to. Affectionum pectoris eadem quae prius vis. Sputum non quidem cruentum, sed decolor. multo cum labore et dolore ejiciebatur. Respirationis organa in eodem statu se habebant quo diebus praegressis. Alvum fluidam aegrotus pluries dejecerat. Ut obviam iretur et statui acriter inflammatorio organorum pectoris. et vero diarrhoeis, praeter  $\mathcal{I}nf. \mathcal{I}pecac.$  pulvis e Sacch. Sat. gr.  $\frac{1}{2}$  cum Amylo quater quotidie sumendus praescriptus est.

Die XXVto. Pectoris mala manifeste aliquantum diminuta apparebant. Respiratio liberior erat, oppressio aliquantum remiserat. Tussis rarior, mucum flavum globosum sine magno labore projecit. Decursu diei semel tantum alvus semifluida evacuata fuerat. Usus Sacch. Sat. usque ad ejusdem mensis diem XXVIIIum continuatus est, dum aegroti status continuo in melius meliusque vergebat. Ex toto VIII. grana Sacch. Sat. adhibita sunt. Status organorum pectoris tunc multo melior erat nec ullum amplius minabatur periculum. Tussis exigua, quae aucta sensibilitate niti videbatur, Extr. Hyosc. oppugnata est. Serius ad Lichen. island. transitus est factus. Morbillorum exanthema solito modo decurrit, et die XXIIo m. Febr. patiens omnino sanatus dimissus est.

Haec hactenus, restat, ut ex morborum descriptionibus huc allatis breviter colligamus, quibusnam in casibus Sacch. Sat. pneumoniae commode adhiberi queat:

I. In pneumoniis meris. Simulae primi quidem stadii atrocitas una vel pluribus venaesectionibus, et remediis refrigerantibus fracta est, inflammationis autem processus progrediens exsudatione lymphae plasticae se manifestat; ut verbo dicam hepatisatione vel incipiente, vel jam evoluta simulque vero cohaesione resoluta, sputis discoloribus et nberioribus, diarrhoeisque manifesta. Cognoscitur mo-

mentum illud gravissimum, ubi sanguini detrahendo finis est faciendus, praecipue eo, quod febris quidem vehementia remittit, calore etiam fortasse deminuto, oppressio autem et pectoris dolores perstant, anxietas aegroti augetur, respiratio difficilis et stertorosa evadit, et tussi sputa spurca, nonnunquam sanguine tincta largiter et multo cum labore evacuantur. Pulsus etiam minor fieri solet, etsi non semper minus frequens. Si in tali rerum conditione status irritatus tubi intestinalis et diarrhoea usum Calomelanos, Ammon. muriatic. Sulph. Ant. aurat. vel Kerm. miner., Senegae et aliorum, quae tubum intesticalem incitare vel alvum relaxare solent, prohibent; ibi Sacch. Sat. exoptatos eventus edit. Ubi successit, ut Plumbo acetico actionem vasorum capillarium enormem sedaremus, et restitueremus aequilibrium inter vasa secernentia et absorbentia, de medici judicio dependet, utrum pneumoniae curationem finitam habeat, et inflammationis regredientis curam naturae viribus permittat, an, id quod pluribus in casibus necessarium sit, ad alia apta remedia, quorum usum therapia specialis nos docuit, transeundum esse arbitretur.

II. In pneumonia typhosa (pu. nervosa, typhodes). Quum hoc in morbo energia atque reactio vasorum sanguiferorum exigua, ideoque etiam inflammatio necessario minus vehemens sit, venaesectionem in universum parum commodam esse, vel certe summa cum cautione et temperantia institui debere, facile elucet. Exsudatio et hic tantum passiva est,

nec vero activae exsudationis instar, quam fortis reactio comitatur, detracto sanguine supprimitur, sed potius vel adaugetur. Perspicuum factum esse spero ex iis, quae attulimus morborum historiis, his praecipue sub conditionibus Sacch. Sat. vim exercere imprimis salutarem, nec fere ullum aliud remedium vices ejus plane sustinere posse. Praecipue secundo in stadio pneumoniae, ubi respiratio valde impedita est et graviora pectoris incommoda atque oppressio locum habent, ubi cutis fervida vel vaporosa, sputa profusa, mucosa aut cruenta pulsus acceleratus est, simulque adynamiae nervosae symptomata se evolverunt. Et hoc in casu simultaneum usum remediorum alterantium, curationem adjuvare valere, et vero serius contra adynamiam accrescentem saepius incitantibus volatilibus vel permanentibus vel denique acidis opus esse posse, neminem fugere potest, qui morbi hujus naturam contempletur.

III. Statuum pneumonicorum, qui phthisin comitari soleant, jam supra mentio est facta, in quibus, modo ea quae supra allata sint recte cognoveris, Sacch. Sat. usum non repudiabis.

Plumbi acetici usus contraindicatus est, ubi evacuationes ex intestinis desiderantur, videlicet in complicationibus gastricis atque biliosis, et secundum Ritscher proclivitate ad cardialgiam, hysteriam et alvi obstructionem.

Si formam respicis pharmaceuticam, praeter ceteris quas novimus, pulvis vel solutio propter effectum celerem commendandae videantur. Minores doses ut grani quarta pars quoque bi-

horio vel trihorio, vel quarta, vel quinta quae hora sumenda, majoribus sunt anteponendae. Quibus quidem in dosibus licet Plumbum acetic. aliquamdiu sine incommodo praebere posse experientia multifariam probaverit, semper tamen cavendum erit ne pertinacior excretionum necessarium suppressio producat. Et remediis, quae affectiones colicas forte exortas reprimere et vasorum extremorum actionem conservare ac sustinere queant, Opium, a plurimis medicis practicis commendatum, optimis plerumque effectibus bonam de se opinionem confirmavit. Esse vero nonnunquam alia etiam remedia pro temporibus eligenda, eaque quatenam sint, partim morborum historiae quas attuli, partim et ipsi status pathologici et, cognitio vera ac justa medicamentorum, eorumque virtutum variarum ac virium, docere posse mihi videntur.